

705

Imperatori Turcarum Solimano.
Sigismundus primus Rex Polonie.

184

Serenissime et Potentissime Princeps etc
Et Literas M^{te} Vestre accepimus et nuntium
audivimus, eadem prope, que in Literis scri-
pta erant proferentem. Quoniam vero
Oppidum Bezakow, de quo inflamato et direpto
M^{te} Vestra nobiscum expostulat, longiore
intervallo disjunctum est ab hac sede no-
stra Regia, hac tenus nullum Nuntio M^{te}
Vestre certum responsum dare potuimus,
sed investigari diligenter, et modis omnibus
explorari fecimus per quem clade hac sub-
diti Vestre M^{te} sunt affecti. Qua in re
utimur etiam opera Serenissimi Filii nostri,
qui in Magno Ducato nostro Lithvanie sum-
ma et ipse diligentia in authores istius fauoro-
ris inquirat. Atq; hec nobis causa fuit reti-
nendi diucius Nuntii M^{te} Vestre. q; illi pro-
virili nostra in omnibus satisfieri cupimus
presente et inspectante eo ut omnes intelli-
gant ea amicitia que cum M^{te} Vestra no-
bis intercedit, nihil esse nobis prius et anti-
quius. Dabimus itaq; omnem operam, ut si
qui ex nostris ea patrasse comperti fuerint,
de quibus M^{te} Vestre subditi queruntur,
ii debitas penas non effugiant, atq; ut omnia
hominibus M^{te} Vestre sartiantur, si que per
nostros homines Damna illis illata fuerint.
Si vero ab iis commissum aliquid sit, qui nostre
iurisdictioni non subsunt, culpam eorum ad nos
non pertinere, facile pro prudentia sua M^{te}

vestra

vestra perspicit. Sed nos tamen faciemus omnia in hac causa, quae ad amicitiam cum Mte vestra et bonam vicinitatem conservandam pertinebunt, neque aut inquerimus aut ulciscemur segrius, si quid per nostros peccatum esse constiterit, quam si contra nos ipsos peccatum esset, quemadmodum re vera peccat contra nos, qui pacem et concordiam publicam, quantum in ipso est rumpere conatur. Hae itaque sola de causa retinimus Nuncium Mti vestre ut nostrae diligentiae, et eorum quae hic acta per nos essent oculatus testis esse posset. Quod Mti vestre Literis hinc significandum esse duximus.

Quod de Greco Carocandela Mta vestra scribit non gravatim in gratiam illius faciemus. Nam et saluum conductum et immunitatem a prestandis vectigalibus illi mittimus. Si quid autem per vim esse ademptum docuerit debitam ei iusticiam tum cum de aliis rebus agatur administrabimus.